

interea, qui sunt a confessionibus Reverendissimi Episcopi Monasteriensis, novum contra me mandatum a Caesare, iam tum Dn. Residenti Caesareo a Rondeck Hamburgum transmissum, extorserunt, iamque mittendus erat Secretarius Rondeckii Lubecam, quem tamen nonnemo, relatione de me alia facta, non esse me talem, qualem depinxissent malevoli Iesuitae, sufflaminavit.

AVGVSTI HERMANNI FRANCKII. *Lipsiae, 1687. d. 5. Sept.* Ausus sum, D. MICH. de MOLINOS (†††††) *Manuductionem Spiritualem*, ex Italica in Latinam linguam a me conversam, Tuo Excellentissimo Nomini inscribere: cuius transmittendum videbatur, quantum sine Tuis sumtibus ferret tabellarius, donec aliquot totius libri exemplaria summissee offerendi occasio quoque mihi nasceretur. Id negotii vt sustinerem, varia non tam persuaserunt, quam imperarunt, praecipue quidem auctoritas Dnn. Professorum plerorumque, qui incredibili legendi libri desiderio capti, frequentius a me contenderunt, vt bono publico hac ratione inservirem. Gravatus sum diu, donec, consulto summe rev. nostro Spenero, ipse non tantum hoc laboris mihi commendaret, sed insuper exemplar editionis Venetae suppeditaret, imo vellet quoque, vt Segnerii Confutationem in Latinam linguam transfunderem, cuius exemplar ipse solus communicare poterat. Hoc nimirum viri summi, qua est in rebus omnibus perspicacia, de nova Quietistarum secta iudicium semper fuit, esse hosce non spernendos lucis Evangelicae radiolos, qui in medio Papatu nuper illuxerint, etsi adhuc densis errorum Pontificiorum nebulis obtegantur. Destruere enim Molinosium exteriorem illum cultum, cui innitatur religio Pontificia, & ad interiorem aliquem revocare. Quae omnia cum recta mecum reputassem via, in me recepi horum librorum versionem, quam diebus canicularibus pro virili adornarem.

EIVSDEM

veritatis adversus Pontificios & Calvinianos vindex. Vtinam nemo deinceps eum iure potuisset dicere Proteo mutabiliorem!

(†††††) Num valeant rationes pro excusando MOLINOSIO & labore, translatis ipsius scriptis impenso, defendendo, a FRANCKIO allatae, Lector harum rerum peritus iudicet. Cum FRANCKIO conferatur WALCHIVS *Einleit. in die Religions-Streitigkeit. ausser der Evangelisch-Lutherisch. Kirche P. I. p. 294 sqq. P. II. p. 983 sqq. 1010 sqq.*